Ordeum tollerat omnem aerem et desiderat terram pinguem ut optime proficiat & in mediocri etiam prouenit et patenti magis qm̄ vmbroso loco letatur. His temporibus et eodem modo ut triticum serit et septem diebus sub terra morat et cum egreditur ut ait varro legumina vero quinqz diebus preterqm̄ faba seri etiā ab alberto dicitur in principio veris et vtrumqz fieri posset. Sꝫ huiꝰ sationis messis tardius ad maturitatem peruenit. Ordeum tamen margolum quod bononie margola vocatur serit toto mense marcij et in principio aprilis et mense iulij est maturū. Itē inuenitur

ordeum quod in trituratione mundatur ut frumentum. et illud eodē
tēpore serit quo frumentū. in seminando corbis vna bubulcā pficit
colit et mūdat ut frumētū. et maturat modicū añ ipm. ideoqz eius
messis primo recipitur. q consumenda est anteqm̄ grana refractis
spicis lapsa decurrant. quia illis velut triticū folliculis vestiuntur.
eius culmos quos pignores dicimus in agris aliqm̄diu iacere si-
namus. qa hoc modo grandescit et trituratur ut triticum. Ordeum sm
ysaac et auicēnam frigidū est et siccum in pmo gradu. vtutē habet
mundificatiuā et excolatiuam. plus tamen faba desiccat. et ppterea
ab inflatione liberat. Ordeum et triticū nutribiliora et laudabiliora
sunt ceteris granis. sed ordeum citius digeritur. et ideo de membris
citius dissoluitur. frumentum vero tardius digeritur. et tardius a mē-
bris dissoluitur. Galienus de ordeo et faba secundū medicinam dicit
ordeum et fabam quōm tēperamento diana sunt. in multis secūdū
medicinam locum habent. sicut cera et oleum in cathaplasmatibus
fit de ordeo confectio vtilis. elixatur ordeum prius aqua. postea assatur.
deinde farina facta cum zuccaro conficitur. hoc in estiuo tempore ad
stomachi et epatis refrigerium valet. ad sitim etiam valet cū aqua
temperatum. siue grossum ut cum codeari edatur. siue liquidum ut
bibatur. Ex eo ptisana conficitur hoc modo. ut cortex auferri possit
mensura ordei sumatur vna. aque nouem. et tam diu coquatur donec
redigatur ad vnā. et colatū potui detur. hoc valet ad sanitatē custodiēdā
corpusqz humectat. si corpus refrigerari plus appetat. parū aceti
misceatur. vel addatur semen papaueris albi. ptisana sanis crebro vsu
clarissimum et perfectissimum sanguinem generant. nec minus qz
panis nutrit. que sanis danda est. infirmis vero diuersis modis p
ut cuiusqz expetit infirmitati. Si enim velis sitim et epatis calorem
extinguere. bibe supra dicto modo. Si excolatiuum et mūdificatiuū
ptisanum habere volueris cum cortice coque. Si laxatiuum et refri-
geratiuum cocto in mane suppone mel violaceum. Si propter epa-
tis oppilationem illud velis accipere. cum eo coque simul radices
appij et feniculi. et accipe illud cū oxisaccaria. Alii autē dicunt qd
ptisana fit hoc modo. Ordeum mundatum decoquatur multum be
ne in aqua et colatur per pānum. farina sic fit. ordeū bene mūdatum

in mola ponit et terit mola tñ aliquãtulum subleuata ut grossam
operet farinã. farina talis cocta ĩ aq̃ diu ẽ optimus cibꝰ febricitãtibꝰ.
et ꝓpue laborãtibꝰ ĩ apostemate spũalium. Auicen. dicit ꝙ habet
ꝓpetates dictas de siligine. Itẽ si fiat linimentũ ex eo cũ aceto forti.
et ponit emplastri more sup scabiem vlceratã sanat eã. Itẽ fit ex eo
emplastꝝ cũ ciconijs et aceto sup podag̃. et ꝓhibet fluxũ supfluita-
tũ ad iuncturas. et aq̃ eius confert egritudinibꝰ pectoris. et q̃n bibit
cũ semĩe feniculi facit habũdare lac. et aq̃ eius ẽ infrigidatiua et hu-
mectiua febriũ. in calidis quidẽ puta. ĩ frigidis cũ appio et feniclo.

Milica ẽ notissima. eius quidẽ duplex ẽ manerieˢ ¶ De milica
est enĩ quedã rubea. quedã alba. itẽ inuenit tercia spẽs que ẽ
albior milio et iterꝫ quedã in herba multũ c rescit. quedã parũ. et
rursus quedã diu morat in agꝛs ut longa. quedã in paucis maturat
dieb ut miliũ. et hec ẽ que in herba parꝫ crescit ut milium. Terram
desiderat valde pinguẽ et cretosã q̃m solutã. et eã valde macrat ꝓpt
multũ nutrimentũ qđ q̃rit. et locis q̃ paludosis letat. ibiqꝫ optime
prouenit cũ ꝓmo reducunt ad cultũ. Vñ ã nimia pinguedie talis loci
frumentũ et faba piret ĩ eo. nisi ꝓmo ꝑ sationẽ milici supflua pĩg-
uedo consumeret. Serit in pastinata ẽra et in solida. pt etiã seri per
sulcos fabarꝫ. et vbicũqꝫ rare nate fuerint in scđa sarculacõe ipsarꝫ qꝫ
fabis eradicatis erit de vno sarculãda. In tẽpato aere c̃ca finẽ mar-
cij et initiũ mensis aꝑlis. et parꝫ seis scꝫ octaua corbis sufficit ad cõ-
plendũ bubulcã. in calido v̾o maturius. et in frigido serius ẽ serenda.
Sꝫ ea q̃ pua ẽ toto tẽpato tpe q̃ miliũ serit sb ẽra pt seri. q̃a tãtũdẽ mo-
rat in agꝛs. circa. xv. vel. xx. dieb semen eius sub ẽra morat anteq̃m
nascat. et natũ licet sit pua milica tñ runcat circa finẽ aꝑlis et ini-
tiũ mensis maij. et tunc ipsa herba ablaq̃at. ut melius germinet et
pullulet a radice. deinde mense iunij sarcit siue runcat scđa vice. et
tunc circa ipsius herbã terra cumulet. ut a casu melius defendat. Et
solo mense augusti vel septẽbris colligit. eis iuxta terram incisis. et
postea ꝓpe panocas si melogaria habere voluerit. si v̾o eis nõ eges
particis flectit. et panoce incidunt et ĩ fasciculis ligant. melogarijs
super radices in cãpo relictis. Et in bubulca mediocris milice circa
sedecim corbes prouenĩet siccanda ẽ quantum pt. postq̃m equabus
fuerit tritura vel v̾gis et in loco reponenda ventoso quantũ potest

apertã nec nimiũ adunata calefiat et corrũpat̃ melegaria cõpetunt ad claudenda tiguria et vias tẽpore luti sternendas et cõpetũt igni et clibanis faciendis cũ fuerint exsiccata et plãtas salicũ inuoluẽdis ne excorient̃ a bestijs et ne sole vrant̃ estiuo. Semen milice bonus cibus ẽ porcis et bobꝯ et equis dari potest et homĩes eo tp̃e nc̃citatis vtunt̃ et sole cũ alijs ḡnis in pane et p̃cipue rusticis q̃ cõtinuis laboribꝰ exercent̃ et ẽ frigidũ et siccũ et generat melancolicũ sanguinẽ Itẽ inflatiuũ est ꝓpter suũ pondus facit descendere cibum quem in ventre inuenerit.

De milio.

Milium notũ est cuius duplex ẽ maneries quoddã scilicet qd̃ circa tres menses morat̃ in agro et aliud qd̃ maturitatẽ recipit in lx diebꝰ postq̃m fuerit semiatũ terrã desiderat valde aratam solutã et pinguẽ. Istã in zabulo et arena ꝓuenit dũmodo solo irriguo et humido celo serat̃ Istã siccũ et argillosũ formidãt agri et terre in qua serit̃ pinguedinẽ valde consumit seri etiã pt̃ p sulcos fabarꝫ et inter ipas vbi rare fuerint inserat̃ in secunda sarculacõe si terra fuerit soluta vel media vel cretosa qd̃ euulsis fabis sarculanda erit mense apprilis maij et iunij seri pt̃. Palladius vo dicit et cũ eo concordat experiẽtia rusticoꝝ q̄ serat̃ miliũ de mense marcij et erit maturum in mense iunij ex quo probabiliter sequit̃ q̄ si terra sit bene pinguis poterit in eadẽ estate iterꝫ semiari. Cobis octaua ps sufficit in bubulca herbis propterea liberat̃ assidue maturũ est cũ totũ albescit ab auiculis nõ multo labore defendit̃ cũ siccatũ est ĩ vasculis ligatum erigat̃ ad solem ibiq̃ꝫ per duos aut tres dies moret̃ deinde portet̃ ad areã et stati trituret̃ ne si ĩ magnũ portet̃ aceruũ calefiat et corrumpat̃ nõ bene siccatũ stati calefit et corrũpit̃ optĩe v̄o siccatũ eo tritato siccet̃ optĩe anteq̃m portet̃ ad horreũ optĩe v̄o siccum longissimo tempore seruat̃ et quidã colligũt solum spicas sicut ĩ panico seruat̃. Milium secundum ysaac frigidum est in primo gradu siccum in secundo gradu testat̃ hoc leuitas et concauitas eius et viscositas et ventrositatis habundantia minus nutrit ceteris granis ex quibus fit panis gratia tamen siccitatis confortatiuum est stomachi et aliorum membrorum corporis diureticum ẽ et idem assat̃ ad ignem et ad corrosionem doloremq̃ꝫ ventris calidũ superponit̃. Causa sue siccitatis et nutrimenti nimium non ẽ accipiendum ab

his qui carnes suas augmentari et impinguari desiderant. nec ab eis qui in corporibus laudabilem sanguinem generari volunt. sed tamen a quibus refrigeratio aut confortatio humorum superfluorum desiccatio appetitur.

¶ De pannico.

Pannicum desiderat eandem terram et aerem quem milium. et eisdem seritur mensibus, et eodem modo, et tantundem seminis requirit in bubulca et eodem modo herbis sepe mundatur. quod etiam inter fabas et faseolis et in vineis congrue seri potest secundum doctrinam de milio traditam. Est etiam quoddam pannici genus, quod in paruo tempore recipit complementum. et istud congrue seminatur post messes completas in stipulis bis vel ter aratis et glebis confractis in quibus optime prouenit, nisi tempus fuerit eximie siccitatis. Panicum secundum ysaac in forma et natura simile est milio, minus tamen nutrit. ventrem tamen magis constipat. Accipitur diuersis modis, et per eorum diuersitates actionem suam mutat. quocumque tamen modo accipiatur melius est milio. Coquitur autem sepe aut cum pinguedine. aut cum oleo. sepe cum lacte caprino vel amigdalo, et coctum quidem cum oleo aut cum pinguedine laudabilius est. quoniam siccitatem suam amittit, et saporositatem bonumque nutrimentum acquirit, et constipationem perdit, cum lacte vero coctum laudabilius eo quod cum aqua sola coquitur. Sed coctionis cum aqua duo sunt modi, coquitur enim ut integrum, aut mola fractum. integrum ablato cortice coquitur, ut in una panici mensura .xv. aque ponantur. Item coctum grossum est et ad digerendum durum, sed non est ventris constipatiuum, quia propter suum pondus ad inferiora descendit. Mola tritum coquitur ita ut farine mundate decies tantum aque ponatur. postquam bis vel ter bulierit digitis fricetur et coletur, et colamentum susceptum donec durescat excoquitur. sicque comedi vtile est, et ceteris subtilius digeritur, quia facilius, et magis non stipticum.

¶ De riso. ¶

Risum et ropellia sunt alba et grossa, et seminantur de mense septembris et octobris et ianuarij et februarij, ut puto melius in terra facili et soluta, loco tepido et aura humida. due partes corbis in bubulca sparguntur, et colligi habet siliquis exsiccatis et granis fortiter induratis, luna decrescente. postquam multum processerit in defectu. frigidum est in primo gradu, et temperatum inter humiditatem et siccitatem, cortex eius stipticus est. cortice ergo mundatum laudabiles

generat chimos nec inflationem aut ventositatem facit sicut faba et ad vsum edendi bonū ē in estate in calida regiōe. ¶ De spelta.

Spelta nota ē eius quidē diuersitates sūt qr quedā ē grauior et hec melior quedā vo leuior et hec deterior est aerē desiderat qualem frumentū et terrā ꝫ melius defendit a macra qm̄ frumētū et in creta et in patēti cāpo optīe prouenit. Et his tēporibꝰ serit qbꝰ frumentū et eodē mōꝫ due corbes ī bubulcā serunt cū ex frumento corbis vna sufficiet. Colit et mundat sicut frumentū metit autem immediate post frumentū cū post ip̄m modicū maturet et eodem mō trituratꝰ verꝫ sepata paleis pluries cresceat .i. vͣgis semē eius pcutit ut ab aristis mundet. Tempate qualitatis est et eqs bobꝰ et similibꝰ prebet optimū nutrimentū sed et hoīes vti ea cōmode pn̄t qr eius panis tēperatus ē et valde leuis ꝫ ideo si tres ptes spelte cū qrta pte misceat fabaꝝ ex supflua grauitate fabaꝝ et multa leuitate spelte fit panis satis pulcer et bonus ꝫ familijs cōueniēs si in eius artificio diligētia obseruet q̄ sup dicta ē ī pane frumti ¶ De siligīe

Siligo nota ē ꝫ eius quidē nō sūt diuersitates aerē cōmunē cū frumento desiderat et frigidiorē tollerat ut alpes qr citius maturat in nemoribꝰ enī alpiū mundant mense iunij et maij oēs ramusculi arboꝝ deinde cū siccati fuerint incidant de mense augusti et sopant qi in cinerē tm̄ et in eis seminat siligo q̄ optīe prouenit āno illo deinde vsqꝫ ad septē quiescit ānos et eadē satio denuo iterat sed vbi nō sūt nemora herba cum suis radicibꝰ et modico terre incidit et exsiccata cōburit in cuius cinere et puluere siligo postea prefato tēpore semīat et circa octo ānos quiescit et idē opus postea iterat. Terram desiderat solutā et sabulosam et in pingui et patēti campo mollior prouenit. Et his tēporibꝰ quibꝰ frumentum serit cōuenientius tm̄ anteqm̄ vel post. Vna quidē corbis sufficit in bubulca. Colit et mundat sicut frumentum octo diebꝰ floret circa finē apprilis et initiū maij locis temperatis quo tempore tāgi a cultore non debet et quadraginta diebus deposito flore grandescit vsqꝫ ad maturitatis euentum. Maturat et metitur anteqm̄ frumentum et trituratur ut ip̄m frumentum. Eius quidem substantia ē tenax et viscosa valde et ideo cōuenienter miscetur cum millica milio faba et similibus ad panem quem pro laboratoribꝰ et familijs faciendū

quia coniungit et conglutinat pastas eorum que per se cocto pane retineri nō possunt· sed franguntur et terunt. siligine vero sola ī pane vel numquam vtimur. Auicēna dicit quod ē de natura ordei· scilicet frigida et sicca in primo gradu· eius nutrimentū est minus nutrimēto tritici· et eius aqua frangit acuitatē humorum· et similiter farina eius super pānum ponitur· et epithima eius calidū accipitur· et fit ex ea decocta sicut sorbitiōes cū pice et calophonia emplastrum super apostemata dura· et cū solo furfure sup apostemata calida ¶ De vicia

Vicia dupliciter vtimur· aut semis colligendi· aut pabuli secandi causa· ē enim optimus cibus equis et bobus herba eius et semen eius· serenda ē de mense ianuarij et februarij non in aurora quā ros ē· sed quā sol absorbuerit rorē· quoniā compertū ē viciā rorem sustinere nō posse· sed euanescere vtutē ipius· habet hoc vicia proprium quia viridis messa si cū eo et quod in terra remanet ager statim aretur letaminis more terram impinguet· si autē exaruerint radices eius antequam terra aretur· succum aufert ab agro.

¶ Incipit liber quartus de vitibus et vineis et cultu earum· ac natura et vtilitate fructus ipsarum.

Superius in libro secūdo multa de natura et cultu vitis dicta intelliguntur· cū de natura plantarum et rebus cōibus cultui cuiuslibet generis agrorum generali sermone diceretur. Nunc vero in hoc quarto libro de natura et cultu vitis et vinearum· et omni vtilitate fructus earum specialiter est agendum.

¶ De vite quid ipa sit· et vtute foliorum eius· et lacrima eius.

Vitis apud nos nota ē· sed in frigidissimis regiōibus in quibus viuere nō potest ignota· ideoque dicamus quod ē quedā humilis arbustula multū tortuosa nodosa et scabiosa· latissimos hñs poros et magnam medullam· et frondes latas et intercisas· que sine putacōne et palorum aut arborum auxilio diu viuere et cōmode stare non potest· et eius quidem fructus est vua· ex cuius succo fit vinū preciosissimus liquorum· folia vitis sūt multum medicinalia. Nā vulnera mundant et sanant· in aqua decocta calorem febrilem refrigerant· estuationem et tumorem stomachi cathaplasmata mire sedant· pregnantem adiuuant· somnum prouocant· et cerebrum

confortant. Eius lacrima potata sepe calculos frangit ut dicit dya. visu acuit lippitudinē oculoꝝ tollit morsib venenosis succurrit et ventrē sistit. cinis eius valet ad predicta cum succo rute vel mice et oleo admixtus. Plinius autē dicit ꝙ folia vitis dolorē capitis amputāt. inflationē sedant et cū farina ordei calidā arteticam curant. dissentericos valde iuuāt si eoꝝ succū bibāt pacientes. Cortex vitis et folia arida vulneꝝ sanguinē sedāt. ipmqꝫ vulnus conglutinant et sanant. Cinis corticis per se pilos ablatos restaurat et multiplicat.

De vinearum diuersitate.

Vinearū genera diuersa sunt. ſm varias et diuersas consuetudines regionū. Nā quedā cū auxilio paleaꝝ et ꝑticarū in ordine fiūt. et hoc duob modis. vno quidem mō ut cuilibet palo sit vitis. et sic fiūt in plurib partib lombardie et romandiole. et hoc quidē mō in exili terra trib plantent pedib distātes quaqꝫ versū. in pingui vō quatuor. in mediocri trib et semis. Alio vō modo ut vna vitis sup multos palos et ꝑticas extendat. et sic fiūt in plurib partib marchie anconit. et hoc quidē mō plantant distātes. considerata pinguedine et exilitate terre. adeo ꝙ spaciū vniuersū possūt congrue opperire. et hec quidē tantum ligonib colunt. nisi fuerint alte et plurimū distantes. Rursus quedam fiūt ut arbustule more prouinciali. quas sine pali auxilio stare constat. et hec quidem aut fiunt p certas acies adeo abinuicē distantes ꝙ arari pnt et diuersis seminib seri. aut eque distantes vndiqꝫ ꝙ arari nō possunt. et hoc quidē mō trib distant pedib. aut minus vel āplius. ſm ꝙ fuerit letū aut exile solum in quo plantant. Quedā etiā fiūt in acieb cū palis et ꝑticis aut in forma pgularioꝝ paruoꝝ. q̄ a parte stipitis sint depressa. et ab opposito eleuata. et hic mod a quibusdā mutine et in alijs locis plurib. et maxime in ortoꝝ spacijs obseruat. Quedam vinee fiūt cum arbustulis ad hoc formatis p agros. plus vel minus eque distātib. ſm ꝙ magis et minus de vino vel de tritico paterfamilias optauerit. Mediocris tamen modus distantie. xvi. vel viginti pedum habet. et iste modus maxime apud mediolanū et in illis partib obseruat. Quedā plantant in ripis fossatorum cum fiunt aut p agros iuxta magnas arbores. ut eas que sunt in agris aut ripis opperiāt et fructificēt. et hic mod plurimū obſuat

in partibus ytalie et item supra dictis vineis que in ordinibus sunt quibusdam ponuntur pali et partice quibusdam vero pali aut frascones loco ipsorum solummodo et sermentis in quatuor vel in duas tantum velut partice extendunt et ligant et hic modus apud terdonam et cremonam et pistoriu precipue observatur et quedam sine adminiculis iacere sinunt in terra quod pro sola indigentia vel necessitate provincie faciendum est et hoc maxime potest in montibus valde aridis tollerari ubi uve non putrescunt in terra iacentes sed a sole nimio fervente servantur.

De diversitate generum vitis.

Diversitates generum vitis multe sunt. Nam quedam valde timent nebulas et pruinas quedam parum et quedam timent siccitatem et ventos et quedam eas facile tollerant et quedam valde fecunde sunt quedam parum et quedam vites sunt quarum fructus cito maturatur quedam tarde et quedam valde fructum suum in flore perdunt et quedam non Et quedam melumine fructu privantur quedam fructum suum ab eo defendunt et quedam facile ventis rumpuntur quedam adeo tenaces existunt ut ab eis facile non levantur. Et quedam timent pluvias et quedam nimiam siccitatem et quedam sunt spissos nodos habentes quedam earum gemmas per longam internodiam distulerint et quedam sunt grossos et longos facientes palmites quedam parvos. Et quedam magnam medullam faciunt et quedam parvam. Et quedam frondes valde faciunt intercisas quedam parum. Et quedam rotundas et continuas. Et quedam faciunt uvas albas quedam rubeas quedam nigras et quedam faciunt botriones multos et parvos quedam paucos et magnos et faciunt grana callosa quedam mollia et quedam durum corticem granorum quedam subtilem et tenerum et quedam faciunt grana valde pulcra et lucida quedam obscura et quedam dulcia quedam acra. Et quedam faciunt uva servabilia quedam corruptibilia quas omnes diversitates facile videre potest vir industrius et expertus.

De diversis speciebus vitium.

Species vitis valde multiplices inveniuntur et ipsarum multe diversis nominibus in diversis provinciis et civitatibus appellantur. Sed quoniam ex eis quedam sunt meliores et quedam minus bone primo meliores et earum bonas conditiones aperte scribam et earum ponam nomina deinde breviter dicam de aliis minus bonis

ut habita vtrarumq3 noticia sciant volentes plantare vel inserere vineas eligere meliores / dico itaq3 in p̄mis ꝙ ē quedā species vue que vocat̄ sclaua q̄ satis tarde pullulat / et ē alba vua quasi rotūdū habens granū / et faciēs mediocriter magnos et spissos botriones / ꝛ3 folium mediocriter intercisū / et in quolibet sarmēto etiam in veteri nato duos vel tres vel q̄tuor et quinq3 q̄nq3 botros ꝓducit / et tanta est duricies ligni eius / ꝙ sermentes non flectunt̄ inferius / propter vuaꝝ pondus / vnde vltra modum ramulos implet / et vua eius ē valde vinosa et lucida / et cito maturitatē recipit. Et vinum eius est valde subtile et dyaphanū et mediocriter potēs / et seruabile et maturum. Macram terrā aut mediocrē et montuosam desiderat / et in ea melius q̄m ī aliqua alia fructificat si stricte putet̄ / nam longos palmites cū vuis nutrire nō potest / et hoc apud brixiam et partes montanas mātue precipue frequētat̄ / et p̄ ceteris in spēali veneratione habet̄. Est et alia species q̄ vocat̄ albana / q̄ tardissime pullulat / et ē vua alba modicū longū habēs g̃nū / et satis faciēs magnos botros / et spissos et lōgos / et mediocriter fructificat / et facit folia mediocriter intercisa / et eius sarmēta vi ponderis nō flectunt̄ / tanta ē duricies ligni eius / et eius g̃na a sole plurimum colorant̄ / et valde cito maturatio eius cōplet̄ / et ē satis dulcis in sapore / sed corticē austeꝝ aliquātulum amarū habet / et ideo melius ē ꝙ vinū ex ea exp̄mat̄ q̄m ꝙ ferueat ī tinis diu cū corticib9 et racemis / et vinū quidē eius ē valde potēs et nobilis saporis / bñ ꝯuabile et mediocrit̄ tenue et si tēpestiue fiat eius incisio vindemia melius ꝯuat̄ vinū eius / et hec spēs vue p̄ cetīs apud foliuiū et ī tota romādiola ī veneratiōe habet̄ / vbi strictissime putat̄ / nā cū lōgis palmitib9 min9 defendit̄ Est et alia spēs vue q̄ tribiana vocat̄ / q̄ ē alba cū g̃no rotūdo / paruos et ꝑmultos botriōes faciēs / in iuuētute sterilis / et procedente tp̄e fecūdat̄ / nobile vinū faciēs et bñ ꝯuabile / et hec spēs ꝑ totā marchiā p̄cipue cōmendat̄. Est et alia spēs q̄ grāgnolata dicit̄ / q̄ vnū os tantum habet ing̃no / et ē lucidissima / et longū habet aliquātulum granum / et facit vinum valde limpidum et potens et durabile ꝛ nobilis saporis et odoris / et hoc apud terdonam et in illis partibus maxime commendat̄. Est et alia species que a quibusdam malixia a quibusdam sarcula vocat̄ / que granum album et rotundū habet

et turbidum cum subtili cortice, que miro modo ponderat, et i terra satis macra defendit, et vinum facit mediocris bonitatis et potentie non multum subtile nec multum seruabile, et hoc apud bononiam precipue in honore habet. Est et alia spes q garganica dicit, q alba est et rotunda, mirabiliter dulcis clara seu lucida, et colore aurea et cum grosso cortice seruabilis vltra oes alias e valde fertilis scilicet femina, q masculi nichil valet, cuius grana sunt longa, et colore aurea, sed sterilis e oino, et eius vinu est valde subtile et dyaphanu parue potetie et satis seruabile, et hec apud bononiā et paduam in magna veneracoe habet. Est et alia spes q albanica dicit, q est alba et non lucida sed maculis plena rotunda et mirabiliter dulcis. Et vinum facit dulcissimū, et quibusdam ānis e fertilis, et sepe sterilis, et precipue si stricte putet, sed satis fertilis si cū longis palmitibus relinquat. Et in quibusdā contractibus bononie et maxime in burgo panicalis in honore habet. Est et alia species que vocat buranece, que e vua alba multum dulcis et pulcra, et in arboribus bene fructificat. Itē est vua que dicit a frigno africogna, que nō e delectabilis ad comedendum, et in arboribus miro modo fertilis est, et ideo precipue cōpetit in locis vbi homies vuas inuadunt, et hee due species apud pistorium p ceteris diligenter habent. Sunt etiā quedā alie vuarū species arbor satis bone sic ut linodella, q bonū et seruabile facit vinū et multū, que apud pisanū precipue plantat, et verdiga que pduc facit palmites et multū fructum, et verdeda q grana facit viridia et parua, et multas fert vuas, que due species et inferiores q minus bone dicunt in antiquis vineis et in quibusdā nouis, et p comitatum inueniunt bononie. Sūt et alie species vuar albarum, quarū quedā licet apud quosdam in magno habeant honore, tamē apud nos diuersis rationibus aut propter paucitatem fructus ipsarum, q aut nimium melumen timent minus bone per experientiā reperiuntur, et hec sunt muscatellus et linatica que opposite sūt et ad esū et in arboribus, sed in vineis spissis et iuxta terram non respondēt ad votum. Et greca et vernacia que licet apud nos bonum faciūt vinum, faciunt tamen minus parum. Et berbigenes et cocerina et gropossa et furolana et banza que bonū faciunt vinū, et quibusdā annis sunt miro modo fertiles, et maximos botriones agentes, sed

quasi singulis ānis fructu destituunt᷑ in flore nō verētes aliq̄ modo melumē. vuaꝝ similiter nigraꝝ vel rubeaꝝ multe sūt spēs. quedam valde bōe. q̄dā paꝝ. Et bōe quidē sūt grilla zisaga siue mardegena. q̄ sūt q̄i eiusdē cōdicōis. sūt eni̅ modicū nigre multū fertiles. oī āno habētes longa ḡna et ipoꝝ corticem subtilem et pulcꝝ. et delectabile vinū faciūt. et satis ſuabile. ſ; ꝓpter nimiā pluuiā crepāt eoꝝ ḡna. et ī mōtib⁹ nō bene proueniūt. ſ; in cāpestrib⁹ locis letant᷑. differunt tn̄. q̄a zisaga nobilius vinū facit. sed minus. quia paruos facit botriōes et raros. sed multos. et parua ḡna. Grilla vero facit oīm haꝝ opposita. et hec spēs habundāter inuenit᷑ bononie. et in multis locis alijs. ē delectabilis ad edendum. et ē miro mō vinosa. et vult terram pinguē aut stercoratā. et valde timet vmbras. et mature pullulat. et facit vinū optimū et ſuabile et potēs valde. nec audet vltra vnā diē vel duas stare in ḡphis. et hec in ciuitate astensi et in illis ptib⁹ in maximo honore habet᷑. Est et alia spēs que vocat᷑ maiolus. que est vua nigra. valde cito matᷓabilis. et pulcros et spissos et longos botriones faciens. in sapore dulcissima. et vinū facit durum. et satis seruabile. quasi nigrum. satis fertilis ē. sed melumen aliquātulum timet. et in plano et in montib⁹ prouenit. et hec maxime apud bononiā in locis infinitis habet᷑. Est et alia spēs q̄ adurada vocat᷑. q̄ valde nigᷓ est et habens longa ḡna. et vinū faciēs valde nigrum et bonū in terris humidis et aquosis. sed in mōtib⁹ et siccis locis non letat᷑. et hec apud ferrariā p̄ ceteris speciebꝫ eligit᷑. Est et alia species q̄ vocat᷑ gmaresta. hec nō est multū nigᷓ. longū habēs granū. et ante matūitatem oīa folia perdit in sapore acra siue acida. mediocriter fertilis. botriones facit raros. et vinum optimum diu ſuabile. et hec vua non cōmedit᷑ ab auib⁹ vel canib⁹ nec libēter ab hōib⁹. et ex ea plurimum inuenit᷑ in ptib⁹ montanis bononie. Et ē alia species q̄ dicit᷑ gimnaremus quasi predicte similis in sapore et vini durabilitate et forma. sed maiores valde botriones facit. et grana grossiora et habundātius vinum. sed minus nobile. et magis loco pīgui letat᷑. et hec in plurib⁹ partib⁹ bononie inuenit᷑. Est et alia spēs vue nigre q̄ dicit᷑ padrinca. q̄ grossos et spissos facit botriōes. ſ; in estate nō durat. et hec ī infinitis vineis bononie inuenit᷑. Sunt et alie multe spēs vuaꝝ nigᷓꝝ q̄ ꝓpter varias cōdicōes malas minus approbant᷑

ſicut ē pignolus q̇ multū diligit̄ apud mediolanū ſuꝑ arbuſtulis·
ſed apud nos nō bene fructificat. Et albarica cū qua tingunt̄ alia
vina/q̄ nimis melumen timent· et vinū nimis auſteꝝ facit. Et va-
rana dentina et portina· q̄ licet ſint mirabilis dulcedīs ad edendū·
et bonū faciāt vinū· tm̄ ſunt fere ſteriles/et minus melumē timent.
Et valmirica et tuſca q̄ valde nigre ſunt/et melegonus q̇ ante oēs
ſpēs denigrat/et canicula q̄ pulcerrima vua et ſuabilis ē/que oīs
alternis tm̄ fructificāt ānis. Eſt etiā quedā ſpēs vue rubea cū cano-
pum valde dulcis et ſuabilis· ſed paꝝ fertilis. Sunt etiā quedā ge-
nera et ſpēs vuaꝝ ſilueſtriū que labruſte vocant̄/quaꝝ quedā ſunt
albe quedā nigre valde parua faciūt gña et ꝑuos grappos/q̄ ſuper
arbores et ſpēs ſpinaꝝ viridiū ſuo natali motu condeſcendūt et nō
putant̄· ſed ſi putarent̄ et ꝑ cultū domeſticarent̄ ḡppos facerēt ma-
iores/et gña groſſiora q̄m ꝑus. Et hee q̄ nigre ſunt tingūt vinum
et clarificāt ſi integre vel cū racemis cōquaſſe ponant̄ in dolijs/nec
viciāt ſaporē vini/et q̄ albe ſūt clarificāt et ꝑficiāt alba vua. Sunt
et quedā ſpēs vuaꝝ groſſaꝝ et duraꝝ q̄ dicunt̄ ꝑgule vel brumeſte·
quaꝝ quedā ſūt albe/quedā nigre quedā rubee/et quedā habēt gña
rotūda/quedā longa valde/quedā mediocriter/quedā ſpēalia habēt
noīa/et earū quedā tēpeſtiue maturationē recipiūt/quedā tarde. Et
ex eis eligende ſūt q̄ magis placēt ad eſū/q̄a ꝓpter nichil aliud plā-
tant̄/cū ex eis vinū nō fiat/ſatis tm̄ cōpetunt ad agreſtū faciendum
acerbe. ¶ De aere q̇ vitibꝫ cōuenit et de ſitu vineaꝝ.

Celum mediocris qualitatis tepidū magis q̄m frigidum eē
debet/ſiccū pocius q̄m vmbroſū/ſed ante oīa vitis procellas
ventoſqꝫ nimis formidat. Aquilo tm̄ vites ſibi ſubiectas fecundat/
auſter v̊ nobilitat/ ideoqꝫ in arbitrio nr̄o ē plus de vino habeam⁹
an melius de ſitu vineaꝝ. Etiā ſciendū ē ꝙ cāpi a montibꝫ remoti
et valles nō aquoſe largius vinū ferūt/colles v̊o et cāpi iuxta eos
exiſtētes et naturam eoꝝ habentes nobilius vinū faciunt. Preterea ē
ſciendum ꝙ in locis frigidis et in montibꝫ a meridie vineta ponē-
da ſunt calidis a ſeptentrione/ temperatis ab oriente/ vel ſi neceſſe
fuerit ab occidente/ ut hac induſtria excellens qualitas temperetur/
loca naturam ſepe vitibus mutant/ et ideo earum genera frequenter
apparent̄/plano igit̄ loco ſtatues vitem/q̄ nebulas ſuſtiet et pruinas

Lviij

collib9 q̄ siccitatē durāt et vētos: pingui agro graciles atq3 fecūdas: macro feraces et solidas: frigido et nebuloso eas q̄ hyemē celeri maturitate pueniunt: aut q̄ duris acinis inter caligines securius florēt vētoso tenaces: calido generi teneriores et humidis: sicco eas q̄ pluuias ferre nō pñt: et ne multa dicā eligenda sūt genera q̄ p defensione viciorū suorū cōtraria loca diligūt his ĩ quib9 durare nō poterant: placida sane regio et serena caute genus oīe suscipiet: industrius ergo vir probata diligat: et locis talib9 mādet q̄ mutare pñt ea vnde sumunt: sic merita q̄ seruabit. ¶ De tra q̄ vitib9 apta ē.

Solum ad vineas ponēdas nec spissū nīs nec resolutū ꝓpius tm̄ resolutio esse debet: nec exile nec letissimū: tm̄ leto proximū: nec cāpestre nec pceps nec siccū nec vliginosū: modice tm̄ roscidum nec salsū nec amarū: qꝺ viciū sapoē corrupto vīo otristat. Tophus et alia duriora vbi gelu relaxant et solib9 pulcerrimas ferūt vineas: refrigeratis estate radicib9 et hūore detēto: sed et soluta glarea et calculosus ager et mobiles lapides: sed tm̄ hec oīa se glebis pīguib9 miscuerint: et silex circū terrā suppositus q̄a frigidus est et tenax humoris radices estate sitire nō patit. Itē loca ad q̄ de cacumib9 terra decurrit: vel valles quas fluminū saturat aggestio. Argillosa terra cōmoda ē: sed argilla sola grauiter inimica. Niger sabulo et rubeꝰ vtilis ē cui fortis ē terra pmixta. Carbūculus nisi stercoret macras vineas reddit. In rubrica difficile cōprehendūt: q̄m̄uis postea nutriunt in ea: sed hoc terre genus ē valde opib9 inimicum: q̄a paruo vel hūore vel sole aut nimiū madescit aut nīs siccat: ideoq3 maxīe vtile solum ē qꝺ inter oīes nimietates tēperamentū tenebit: et ꝓximius fuerit raro q̄ depresso. Vtilē vineis terrā p hec sig̃ cognosces: si coloīs et corpis rari aliq̄tenus ac resoluti ē: ꝙ gulta q̄ ꝓtulit leuia nitida procera et fecūda sūt: ut pirus siluestris prunus rub9 cetaq3 huiusmodi: neq3 intorta neq3 sterilia neq3 scabiosa nec macra exilitate languentia. Ad pastinandū pterea rudes agros vel maxime siluestres eligamus. Vltima est eius conditio in quo fiunt vineta vetusta qꝺ si necessitas coegerit pus multis aracōib9 exerceat: ut abolitis radicib9 poris vinee et oīni eius carie et squalore depulso nouella vitis tucius possit induci. ¶ De pastinacōe et dispositione terre in qua vinea plantanda est.

De mense septembris vel octobris ĩ locis aridis / aut ianuarij
februarij vel marcij locis humidis fieri debet pastinum siue
cultura vbi vinea ẽ plantãda · qḋ trib⁹ fit generib⁹ / aut terra ĩ totũ
fossa / aut sulcis aut scrobib⁹ tota terra debet effodi vbi ag̊ ẽ mũdu⁹
ut siluestrib⁹ trũcis et radicib⁹ filicis vel herbaꝝ noxiaꝝ spacia libe=
rent̃ / vbi autẽ sũt mũde nouales scrobib⁹ pastinemus aut sulcis · ȝ
melius erit sulcis / q̇a humorẽ velut ĩ totũ spacia pastiata trãsmittũt
fiãt aũt sulci longitudĩe q̃ destinaueris tabule latitudine triũ pedũ
vel q̃tuor altitudĩe vni⁹ pedis ĩ locis huĩdis / vel duoꝝ ĩ locis siccis ·
deinde si ligonib⁹ ꝑ hoĩes vinea ẽ colenda tm̃ crudo solo relinq̇m⁹ ·
ꝙ altero sulco impresso vitiũ acies tribus vel q̃tuor distet pedibus ·
sȝ tribus in solo exili / q̃tuor ĩ pĩgui · et tribus et semis in mediocri ·
Si v̊ arande sũt vinee q̇nqȝ vel sex pedũ spacia q̃ nõ fodienda sũt ·
et ĩ medio relinquãt̃ / ꝙ si scrobes fieri placeat / tm̃ fiãt longe quãtũ
vites distare debebũt / ut ĩ quolibet scrobis capite plãta vna põat̃ ·
pñt tñ cõmodissime sulci fieri distãtes in triplo q̃ȝ vinea spissa fina=
liter esse debebit · et ĩ quolibet sulco plãte ĩ duplo spissiores q̃ȝ esse de=
beant poni / sicqȝ acies ligonibus ꝓcurari / et spacia ꝑ triẽnium aut
q̃driẽnium arari / et oĩm geneꝝ seĩe seri / cũqȝ vites excreuerit vnam
trahi a dextris et alterã a sinistris / et de vtraqȝ duas fieri vites / sicqȝ
spaciũ totũ impleri / scrobes nõ sũt vltra duos pedes altius fodiẽde ·
neqȝ pãgimus frigore · ne sermenta laborent · latera ĩ scrobibus eq̃=
liter sint incisa / ne aliq̃ vitis sauciet̃ / alte nitentibus ferramentis cũ
fossor incumbit · pastinũ aũt oĩe qḋ verset̃ duoꝝ pedum altitudine
vniuersa t̃ra fodiat̃ · in q̊ erit diligentia ne crudũ solũ occulta frau=
de fossor induoat · quã rem ꝑ spacia q̃ fodiunt̃ v̊ga custos exploret ·
in q̃ modus est ꝑdicte altitudĩs designatus · et radices oĩes et pur=
gamenta maxĩe rubi et filicis in sũmum redigi faciãt · q̃ cura in oĩ
positiõis genere est vndiqȝ huãda · pñt etiã cõmode fieri fouee pue
et stricte · cõuenienter tñ profũde vbicũqȝ vites ꝑ vniuersum agrũ
stare debẽt · ſm ꝙ omnes agricultores experti bononie et in locis alijs
pluribus obseruãt · pñt etiã foramina in t̃ra circa vitem fieri / in t̃ra
vbicunqȝ vitis plantãda est / q̃ quidem cũ palo fieri consueuerunt ·
ȝ melius valde est ꝙ fiant cũ forri terra / qḋ est instrumentũ ferreum
ꝑ me ꝑmitus in terum / quo terra educit̃ / nec in foraminis parietib⁹

cōculcat᷑/ ut infixionē debiliū radicū impediat· et hoc quidē paruo labore perficit· nisi ager lapidosus fuerit vel saxosus. Locus quidē q̄ pastinādus erit pus impedimētis et ī omībꝰ liberet᷑ arborībꝰ· que fossa terra post calcatu assiduo solidet᷑. Illud quidem expimētis assi: duis compertū ē vites melius prouenire si vel statim fosse terre vel nō longe ante panganť· cū timor pastini nondū repetita soliditate subsidit· et hoc quidē in sulcis et scrobibus est probatum ¶ Quō et qn̄ debēt colligi plante· et qualit᷑ suari· et ad ptes remotas portari.

Plante vitis q̄ taioli dicunt᷑ colligi debēt qn̄ plantāde sunt/et ante etiā colligi pnt̄ si bene suent᷑. Et meliora quidē tēpora colligendi eas sunt tēpus octobris qn̄ ps folioꝝ cecidit/et ps adhuc retinet᷑ in vite· tūc enī calor natalis vitis adhuc ē expansus in ra: mis/ſꝫ cū oēs frondes ceciderūt oīno/et supuenit gelu intensū ī aere tūc rami eius calore natali destituti sunt/ꝓpter frigus aeris fugam habuit ad radices ad calida viscera terre/ q̄re tales plāte difficilius cōprehendūt. Tēpus ꝑterea marcij in q̄ iā calor et hūor ad radices redijt itaqꝫ eoꝝ gēme cū tumescere incipiunt ē optimū ad plantaꝝ collectionē ꝓpť eandē rōnē. Eligendaꝝ quidē plātaꝝ ratio mltiplex est/et pmo quidē ex tali terra eligi debet q̄ nō sit pinguior/et ea in q̄ pāgi debēt sit equalis aut exilior Nā si a pigui terra ad solum exile transferunt᷑ vtiles esse non pnt· nisi sepe stercore adiuuent᷑. Itē eli: genda sūt pāgenda smēta de vite media· nō de sūma nec de infima qnqꝫ vel sex gēmaꝝ spacio a veti ꝓcedētia· qa nō facile degenerāt q̄ de locis talibꝰ colligunt᷑. Sūma flagella repudiemus ac surculos q̄ licet loco bono nati sūt tn̄ feracitatis beneficio caruerūt. Pampinus aut q̄ de duro nascit᷑ etiā si fructū ꝓtulit pro frugifero non ponat᷑· In suo enī loco fecūdat᷑ a matre translat9 ꝟ tenet sterilitatis viciū· qđ nascēdi cōdicōe suscepit· sumat᷑ etiā de vite fecūda· nec existime: mus ea brachia fertilia q̄ vuas singulas aut binas ꝓducunt/sed q̄ multa vbertate curant᷑. Nā pt̄ ferax vitis ī se hr̄e feracōres matias Certa aūt in hoc signū fertilitatis/si de duro aliq̄ loco fructū citabit si fetu impleuerit ramulos ex oī pte surgentes/ſꝫ hoc signis ꝓpijs p vindemias ē notandum. Asserit aūt columella vno āno expoliari fertilitatē nō posse/ſꝫ q̄tuor/q̄ numero cognoscit᷑ ꝟa generositas sur culoꝝ. Ad pāgendū nouellos palmites debet eligi duri in se nichil

habēs· et veteris ſmenti quoniam hoc ſepe corrumpit̃ et putreſcit. Menſura ſmenti vnius cubiti ſecūdū palladiū eē debet / michi autē videt̃ longius eē debere / maxīe in locis decliuis montuoſis et aridis cū in foueis obliq̄ pangunt̃ ipſamq3 ramulis et capreolis ſiue ācbi' eſſe ꝓgandū. Seruāde ſūt plāte vitis talit̃ ꝙ vēto aut ſole nō vran t̃ / aut aliq̄ mō ledant̃ / et ꝑcipue ſub terra vſq3 ad dimidiā ptē mer ſe ſi paucis erūt ſuande diebꝫ. Si vō diu ſuari eas neceſſe fuerit et maxime iā multo adueniēte calore vſq3 q̄ ad ſūmitates ipoꝝ terra valde cōtrita operiant̃ aperte / adeo ꝙ terra tā intra q̄m ſup̄ diligēter poſita ſingulas plātas tangat. Et ſi eas tranſuehi ad ptes multū remotas oportuerit / locus vel palee molles et modicū lutoſe cū plā tis optime miſceant̃ / et ſacco vel ſeptorio qḋ ē melius inuolute ſtricte ligent̃ capite groſſiori cū prefatis paleis / et ſtorio cooperto· et cum portant̃ quantum fieri poteſt a ſole defendant̃ et vētis. Et ſi nimia eſſet aeris ſiccitas pn̄t q̄nq3 corpa groſſiora in aquā dimergi / ſic enī diſpoſite diu ferri poterunt / et teri ſine leſione ipaꝝ.

¶ Quando et qualiter vinee et vites plātande ſunt

Tempore ſeptēbris et apprilis ī locis frigidis vinee ſūt plātāde tēꝑatis vero de menſe octobris vel marcij / calidis de menſe nouē bris et februarij / ita tn̄ ꝙ ī omnibꝫ prefatis locis ſi humido et cāpe ſtria depreſſa fuerint / poſt hyemē pangant̃ ne calor naṫalis ipaꝝ duplici aquoſitate loci videlicet et hyemis extinguat̃ / ſi vero arida et mōtuoſa ſint loca pāgenda ante hyemem plantent̃ / ut ſuperflua locoꝝ ſiccitas circa plantas humiditate hyemis tēperet̃. In locis vō tēꝑatis ante hyemē et poſt cōgrue pāgi pn̄t. Itē ponēde ſūt vites placidis diebꝫ ac tepidis / q̄n ſolum eſt modice humidū· ſed pocius aridū q̄m lutoſum. Cum vinea plantat̃ in ordine aut plantat̃ in foraminibꝫ directis / vel paꝝ obliquis duo ſmentes in pte inferiori oblique inciſe foramini imꝑmantur / et ſabulum vel terra ſoluta et trita· et cū pauco maturiſſimo letamine palearum vel vinacie mix ta vſq3 ad medium foramen ponat̃ / deinde creta vel terra ibidem inuenta repleat̃ / aut in paruis foueis cōuenienter profundis pan gunt̃ / capitibꝫ plantaꝝ longe poſitis in parte infima et ī ſuprema iuxta ſignū tn̄ ſimū vndiq3 ꝓporcionabiliter poſitū ex cōiunctis et terra cōtrita mediocriter ſuperinducit̃ cōculcata. Caput ſmēti cum

deponit̃ retorq̃ndũ nõ ẽ· nec aliquo mõ vexandũ. Nã p̃s ea de qua
radix sperat̃ iniurie nulle subijcienda ẽ/ due gẽme fertiles remaneãt
sup̃ terrã / nec dimersa ponit̃ secũdiori p̃te sup̃ eã q̃m ẽ / sterili p̃xi-
mũ relinquat̃ · vbi piguis ẽ nat̃a terrarũ maiores int̃ vites spacia
relinq̃mus/ sc3 q̃tuor pedũ / vbi exilis angusta sc3 triũ / vbi v̾ medio-
cris triũ pedũ et semis. Pretea nõ ẽ vno tm̃ genere vitiũ oẽ pastinũ
consendũ / ne ãnus iniquus generi videmie spem oẽm excludat / et
ideo q̃tuor vel q̃nq3 generis eximia s̾menta pangemus/ ac expedit
maxie tabulatim dispóni. Et sic generũ diuersitate distincte posita/
poterit eã operariorũ mĩor numerus expedire/ et g̃datim que velocius
marãt̃ p̃us condere / deinde q̃ serimus ac melius puro sapore sine
lecamĩe alterius generis vnaqueq3 vina s̾uare/ et si hoc facere tibi
difficile videat̃/ mõ alia simul conseras quaq3 sapore et flore et mat̃i
tate cõueniãt. In scrobib9 v̾o magnis et latis ut vitiũ distãtia esse
debet/ per angulos q̃tuor s̾menta deponas / et vinaciã ut dicit colu-
mella stercore mixtã simul sp̃ges/ et si exile solum fuerit pinguẽ infe
ras terre scrobẽ/ si v̾o minus cretosa eidẽ misceas zabulum / q̃ si ar-
bustã te delectat habere plantã generose vitis p̃us in seĩario nutrire
debebis / vnde radicata transferat̃ ad scrobẽ cui arbor ẽ iuncta / in se-
minario autẽ breui spacio distãcia inter s̾menta deponas/ et cũ cõ
ualuerint hinc post biẽnium radicabit̃ vitis vel arbustula et trãs-
fert̃/ quas cũ depones in scrobẽ ad singulas materias redigas / pu-
tatis omnib9 q̃ scrobi insunt/ curtatis etiã radicib9 q̃s potis inueni-
re vexatas. In scrobe aũt ad arbustũ faciẽdũ duas radicatas vites
depones / obseruãs ne se sua radice cõtingant/ et ip̃as vites ad scro-
bis latera discreta cõiunges Varro asserit scrobẽ non p̃mo ãno esse
complendã / q̃ res faciet vitẽ alterius fundare radices/ sed hec aridis
prouincijs forte cõueniet / humidis v̾o sata putrescẽt humore susce-
pto nisi t̃ra statim cultui det̃/ s3 arbusta que ferẽt plãtas arborũ de his
generib9 ponat/ vel si agro suppetit habũdãtia his vtat̃ vlmo oplo
salice populo fraxino ceraso nuce p̃rino et similib9 / s3 salice et poplo
in locis huĩdis vti possumus· ceteris v̾o in his et alijs locis. Ex his
autẽ generib9 trũcos radicatos vel salicẽ et populum sine radicib9
circa scrobẽ vitis constitui oportet. In scrobe vitis ab arbore sua sex-
quipedes vel duorũ pedum spacio distare debebit. Nã arbori nimis

proxima vitis aut ipsius opprimet incrementū aut opprimet ab ea. Aliud etiā de transferēda vite ingeniū fieri pt ex vimie pua corbicula ad arborē vel pgulariū fert cui vitis adheret et i fundi media parte ptundit et idcirco inducto in eā smēto vitis suspēdit et terra replet/ qd smentū exacto āno i corbicule fūdo incisū cū ipa corbicła portabit ad locū vbi plātare pponis/ cū ipa corbicula obruit circa arboris maritāde radices et hoc fiet sine ambiguitate cstedēdo. Caueis etiā muniēda ē aduersū pecoris appetētis iniurias et arbori sue protinus alliganda. Cū vo arbores ripaꝝ vitibꝫ munire desideras optimū ē et facile sulcum in ripa facere/ ibiqꝫ spinas et taiolos mixtim ponere. et fossato effosso terram supinducere/ sic enī spinis muniet ager/ et p eas vitis tute cōualescendit. Optimū enī genus est prouincialium vineaꝝ q sūt ut vites velut arbustule stēt q quidē plantant ut hee q i ordie disponunt. Et hee quidē aut vndiqꝫ pangunt equalit/ aut vnū ordinē tm̄ suāt ab alio pximo ut placet remota/ ꝫ in his vna sola plāta i qualibet pt poni/ i duabꝫ videlicet aciebꝫ/ i tercia vo bonū erit vbiqꝫ duas poni/ qbꝫ proxie plāte predicte possint ānis sequētibꝫ repari ꝙ si i quolibet loco due ponant cum cōualuerit debilior auferatur/ ut vna sola remaneat. Preterea sciendum est ꝙ naturam vitis celum solumqꝫ sustentat si genera cōuenienter aptent/ ideoqꝫ i eaꝝ plantacōe pcipue obsuāda sūt ea q sup diximus cū de aere et situ vineaꝝ loqueremur.

¶ De propagatione et renouatione vitium et vineaꝝ.

Propagacōes qnqꝫ in vineis/ qnqꝫ ad arbusta fiūt. In vineis quidē qnqꝫ ppagant in locū vacuū vbi vitis sm ordinē vinee debet esse/ qnqꝫ v in locū alterius q infamati generis ē smentū vitis nobilis ppagat/ et qnqꝫ p circūstantias adducit ut vinea incrementū recipiat. Et pmo quidē mō ad ordinatū protrahit locū/ aut statim cū smentū sufficiēter ē longū aut successiue p ānos vbi eiusdem deficit longitudo. Et idē seruandū in oī ppagacōnis genere. Si autē in locū eradicandū vitis ppago ducat/ aut hoc statim fiet aut pmo āno p vnū pedē ppe vitē auferendā ptrabit/ ut habito vitis damnande fructu āni pris et seqntis leuiter in locū pus eradicate trahat. Cū autem ptrabit ad arbores vel arbusta per vnū pedē adminus ab arbore fiat remota ppago. In omibꝫ autē pnarratis modis

letamen in fouea supra terrā circa propaginem apparentem relicta
ponat᷑ nec sub terra ꝑ cōtractū ꝓpaginis apponat᷑ alioqn̄ sup̄fluo
letamis calore debilitat᷑ vel arescit nisi fuerit adeo maturū et vetus
ꝙ omnis calor letamis exalarit. ¶ Est autē sciendū predictas propa-
gationes fieri aut infossione totius vitis q̄ ꝓpagat᷑ aut magis sine
curuatura ꝯmenti ut velut arcus sup̄ terrā relinquat᷑ alia pte vi-
tis infossa ꝙ si fiat post biēnium recidat᷑ aut triēnium ꝙ si tucius
propter debilitatē biēnalium radicū q̄ vitem nouā sepe nō conue-
nienter defendūt vetus et antiq̄ vitis et q̄ longe nimium producit
frugiferos renouat᷑ per studiosum palmitis cultū cōgruis tēporibꝰ
eidem adhibitū et ꝑ ꝯmationē letamis aut ꝯmentoꝝ aut sabuli in
loco nis cretoso aut crete in terra nimiū sabulosa et ꝑ strictā putati-
onē aut incisionē factā i loco stipitis nitido vel sucoso. ¶ Columella
dicit ꝙ si vitis ꝑgularij et arbusti q̄ ē integro trūco in solo robusto
stricte puteᷣ et ablaq̄ata fimet᷑ in terra tercū vel quartū pedē a tra
mucrone feriat᷑ acuto ac fosso freq̄ntius incitent᷑ ex eo loco gemme
plurimūq3 producit in vere ac materiā vitis fundit qua reparet᷑
vitis. ¶ Et si trūcus vitis ē nimia vetustate corruptus de mense mar-
cij iuxta terre superficiē vel sub ea modicum recidat᷑ ut surculus in
absciso trunco vitis eodē renouet᷑ vel cū vitis q̄ sola ē nimiū longe
producit frugiferos palmites plicet᷑ vnū remotū a vite et intrans
ibi in terrā exeat appodiatus ad vitē et post biēnium incidat᷑ mat᷑
vitis renouāde vites autē oēs laudabilis sūt generis et tunc de
omnibꝰ fiat ut de singulis vitibꝰ sup̄ ꝓxime dictū ē aut omnes sūt
male quo casu nichil erit vtilius qm̄ eā vniuersaliter extirpare atq3
sufficiēter vetustis cōsūptis radicibꝰ eā denuo plātare. ¶ Et si quedā
vites sunt bone quedā male radicitus extirpatis peioribꝰ et apposi-
tis palis i omnibꝰ locis in quibꝰ vites aptant᷑ que relicte sūt vite᷑
adeo fodiant᷑ ꝙ facile flecti possint et totaliter submerse in duas vel
in plures partes ꝯm exigentiā et possibilitatē ipaꝝ vnaqueq3 distri
buat᷑ et duobꝰ palmitibꝰ in singulis locis ad plus relictis cū duabꝰ
gēmis sup̄ terram ceteri amputent᷑ et vnicuiq3 viti ex fimo aliquid
apponat᷑ nec ē ꝑtermittendū ꝙ de nouis palmitibꝰ tm̄ de vnoquo-
q3 terra mergendum ē ꝙ radices in loco cōgruo nouas mittē possit
que in veteri nisi sit quasi nouum facile nō nascunt᷑. ¶ Et si aliquis

remaneat locus ad quē nullus possit palmes produci·ei dē aliunde translati noui palmites tribuant͡. Omnis pterea propagatio fieri potest in mense octobris nouembris februarij et marcij · cum terra nec adeo mollis ē ꝙ commode retractari non possit· et eius partes cōminui·nec adeo dura ꝙ nimium fossioni resistat. In aquosis autem nimium locis post hyemem· et in siccis ante hyemem vtilius propago ducet͡· ita tamen ꝙ in plano sub terra quo pede in diuis et niuosis et rimosis vsqꝫ ad duos pedes vitis trahenda mergat͡·vel forsan ea q̄ fit ante hyemem in omnibus locis est melior·dum tamē in aquosis terra circa eam bene disponat͡/ quia firmandis radicib9 ut ait palladius vitis incumbit cum proferendi palmites eam curam non promouet. ¶ De insitione vitis.

Vites inserunt͡ aut in vitib9/aut in arboribus. Et i vite quidem insitio duob9 fieri potest cōgrue modis/ in trunco videlicet et palmite. Insitio in trunco hoc modo/ eligat͡ truncus inserēdus talis qui sit solidus·et humoris exuberet alimento·neqꝫ vlla vetustate aut iniuria laceratus arescat/ recidat͡ circa terrā/ aut ad pedem medium infra eam. Nam supra terram difficilius comprehēdit. Varro autem scribit vitem inserendam siccari debere triduo anteq̄m inserat͡/ut qui in ea nimis est humor diffluat a vite anteq̄m inserat/aut paulo infra insitam incidat/ut inde humor aduēticius effluere possit. Item inserendi surculi solidi rotundi gemmis spissis et plurib9 oculati·ex quibus tres oculi vel duo insitione ponant͡·radicat͡ ergo sermentum ad duorum digitorum mensuram·ut ab vna parte sit cortex/ne patiaris nudari medullam/ sed leniter rade ut incissura possit sensim in acumen exire·et cortici ne matris aptet͡ Infimus oculus ita infigat͡· ut trunco iunctus adhereat·qui ocul9 exteriorem debet recipere partē·deinde liget͡/ut in alijs insitionib9 ē narratū·tegmento qꝫ aliquo a vētis et sole defendat͡·ne hij quatiāt hic adurat·vbi calor tēporis ligaturā inuaserit ip̄o punicēo tenuis humor circa vesperā debet frequenter effundi/ ut hoc alimēto cōtrarium·videlicet celi terrentis arent͡. Potest etiā aliquid veteris cum nouo cōuenienter inseri. Cum ergo germē ceperit incrementū adiutorio calami vel pali debet adnecti·ne motus aliquis fragilem hmēti pcedētis quasset etatē·leui viculo et nō stricte liget͡·ne adolescētia

